



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ  
Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

Mortem cum præparatione metuere, prudens vigilantia est, & verus  
modus eam vt intrepide præstoleris, & demum victor illius euadas. Colloq.  
XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*Mortem cum preparatione metuere,  
prudens vigilantia est, & veru  
modus eam ut intrepide præstoleris,  
& demum vicit or illius euadat.*

## COLLOQUIVM XXX.

THEOL.

**D**icitū mihi nunc amabo, quid  
facturus ille est, qui s̄penu-  
merò momēta istius rei ex-  
aminat, & ob oculos sibi posuerit,  
nisi vt anxiè & vigilāter iter arripi-  
at, nunquā vt in eo cespitet, nunquā  
impingat, nunquam in via tam bre-  
ui labatur, quæ ex carceribus vteri  
materni usque ad sepulchri metas  
porrigitur: ne ex improviso à latro-  
ne illa occupatus opprimatur, quæ  
continuò clam illi iugulum inua-  
dere molitur? Si quispiam in horas  
singulas inimicum suum præstola-  
retur, an tu eum securè super lorica  
dormitium esse existimas? At nos  
quolibet momento morte expecta-  
mus aut saltē expectare debemus, an  
ergo quidquid impedimentorum est nō  
remoturi sumus, non armis compre-  
hensi? an eam non formidatur?  
hoc

hoc est ne nos opprimat, ne impa-  
tos ad rebus humanis emigrandum  
inueniat? Nec tu mihi verò timorem  
hunc ignauiam interpretere, sed sā-  
ctam, sed fortē, sed religiosam pru-  
dentiam: qui enim Præfectus belli  
aut Capitaneus istiusmodi est vt ar-  
mis suis noctu & interdiu hostem  
prætoletur, hic deintim reuera pru-  
dens & magnanimus existimatur. I- *Dictum*  
phicates Atheniensis laudatissimus *Iphic. ex*  
Imperator pacis etiam & induciarū *Plut. de*  
tempore, imò amicos inter ac neces- *dictis*  
sarios propugnacula extruebat, ex-  
cubias agebat, speculas occupabat,  
& reliqua omnia defensionum mi-  
litariū capita accuratissimè tracta-  
bat & exercebat, non aliter quam si  
vndique periculis vallaretur, & ho-  
stibus cingeretur; cūque ex familia-  
ribus suis aliquando non nemo scis-  
citaretur, ecquid timeret, respōdit,  
ne ex improviso inuaderetur, & ali-  
quando eò res suæ prolaberentur, vt  
ad triuiale illam maleferiatorum  
hominum excusationem confuge-  
ret, id futurum non s̄uspicabar. Apo-  
stolus in hac vitæ pugna multò  
quam

*Non co-*  
*gitavi,*  
*commu-*  
*nis im-*  
*pruden-*  
*tum ex-*  
*cusatio.*

quam exercitatissimus nos exhortatur dicens: *Cum timore salutem vestram speramini;*

*Mat. 24.*

*45.*

id est, Aduigate, timete, aut potius in timore vivite, ne in extremo die intercipiamini, & Deū offēdatis. IESVS CHRISTVS supremus Capitaneus qui omnium victorissimè è ventre matris ad mortē decurrit, s̄pēnumerò Apostolos & Discipulos suos docebat, & per eos vniuersum genus humānum dicens: *Vigilate & parate, quia neq; diem scitis neq; horam.* At vide mihi nunc hoc loco sit rem admodum mirabilem, præparatorium videlicet metum istum insignem animi magnitudinem cōtra mortem generare: cuius quidem rei et si innumera exempla sunt, nos tamen ex maximo eorum cumulo quæ illustriora sunt in rem præsentem adducemus. Author est Ruffinus in

*Ruff. Vit.*

*PP. Pal-*

*ladi⁹ vi-*

*ta 19. &*

*20.*

Historia quam de Vitis SS. Patrum conscripsit D. Macarium Alexandrinum adeò felices in hac schola progressus fecisse, nullum ut in se mortis aut diaboli proaui mortis horrorem experiretur: nam cū qua-

quadam vice à nocte in deserto op-  
pressus alio diuertere non posset, in  
sepulchrum se abdidit, vbi medi-  
tationi mortis impensissem vacans  
ac somnium capiens, mox strepitum  
& collisionem ossium à diabolo ex-  
citari sensit, quantam præter eum  
nemo perferre potuisse videa-  
tur: at mansit ille tamen, neque vi-  
lo modo hospitio se expelli ferens,  
fortissimus athleta tres hostes ter-  
ribiles, Mortem, Diabolum, No-  
stemque contempsit. Iam de Phi- *Palladiu-*  
lotomo Sacerdote Galatino narrat *Vitis Pa-*  
*Palladius adeò firmo eū robore cō- trū Via-*  
tra mortem polluisse, sex ut ipsos *iiij.*  
annos in sepulchris agere nō dubi-  
tarit. An ergo illud etiam iam non  
dicere posse videmur, hominem hac  
mortis meditatione tantum virium,  
roboris, ac neruorum sibi acquire-  
re, ut de morte victoriam referat ac *Mors cū*  
*triumphum agat? Etenim cum nun- paratos*  
*quā non paratos, à peccatis perpur- inuenit,*  
*gatos, ac virtutibus armatos inue- nocere nō*  
*nit, naturam quidē terrefacere po- potest.*  
test, de medio tollere, corpus eripe-  
re, spolio hoc gaudere, at ijsdem  
anumæ

animæ nostræ portam & aditum ad  
cælum facit, & ad restituendum no-  
bis corpus nostrum solutum mortis  
legibus, immortale, & triumphans  
obligatur. Nunc quemadmodum di-  
ligens illa preparatio hominem im-  
perterritum facit, ita è contra igna-  
uia nimio quantum pusillanimum  
& ultra modum reddit meticulo-  
sum: atque hinc omnino est, quod  
qui eiusmodi sunt, solo mortis no-  
mine audito terresiant, palleant &  
contremiscant, non aliter quam si  
lupum ex improviso conspexissent:  
itaque nunquā de ea sermonē insi-  
tui, nūquam de Paradiso etiam ver-  
ba fieri volunt, ne fortè mortis mé-  
tione immixta eam cæli portam esse  
afferatur; vnde meritas omnino igna-  
uiae suæ pœnas luunt, ac quanto  
propius ad mortem accedunt, tanto  
abiectiones, segniores & infirmiores  
ad illius impetum sustinendum ef-  
ficiuntur. Sequitur nunc magnan-  
mitatem ac fortitudinem illam al-  
ter fructus qui ex consideratione  
ista promanat, videlicet odium ma-  
ximum, quo peccatum non modo

*Conſiae  
ratio  
mortis o-  
diū pec-  
cati ge-  
nerat.*

exe-

execramur, sed etiam effugimus ac  
deuitamus. Dum enim illud latere  
nos non potest peccatum mortis  
causam esse, ac tātum etiam in mor-  
te horrōe inesse cognoscimus, col-  
ligimus planē, & consectorium esse  
arbitramur, peccatum mirabiliter  
enorme esse oportere, cum effe-  
ctum adeò fœdum sit ac metuendū,  
planē ut ex fructu malo arboris  
malignitatem metimur: sicque cog-  
nitionem effectus & causati assecu-  
ti, odio mirabili in causam ferimur,  
& peccatum, cuius turpitudinem in  
morte velut in impressa imagine  
contuemur, execrantes sancta & re-  
ligiosa iracundia stimulamur ad id  
oppugnandum penitusq; profligan-  
dum: sicque spirituali quodam mo-  
do Moysen imitari possumus, qui  
cum Deo præcipiente serpentein  
cauda apprehendisset, protinus eū  
in virgam trāsmutari, illam tot mi-  
raculorum postea ac rerum stupen-  
darum effectricem, & reapſe vnicam  
Pharaonis domitricem. Serpens nā-  
que iste peccatū significat, qui inter  
omnia animalia primum Sathanæ  
mille

milleartificis fuit instrumentum.  
Cauda verò serpentis seu peccati  
mors est, quia finis & effectū pecca-  
ti est, caput autem ipse diabolus ra-  
dix & origo peccati vniuersi: Ser-  
pentem ergo cauda tunc arripis &  
apprehendis, cùm serio mortis me-  
ditationibus incumbis, quibus ad-  
iuuante gratia Dei, qui eam arripe-  
re nos iubet, in virgam mirabilium  
operatricem conuersis, spiritualem  
Pharaonem Diabolum expugna-  
mus, vires illius frangimus, ac  
regnū eius funditus pessum damus,  
& quod caput sermonis nostri erat,  
magnanimi contra insultum huius  
hostis efficiimur, & postea quoque  
victores.

---

*De causis mortis.*

## COLLOQYIVM XXXI.

PHIL. **T**E TIGISTI tu planè in hac  
dulcissima suauissimaque dis-  
sertationum tuarum harmo-  
nia atque concentu chordam præ-  
reliquis, quam magnoperè pulsa-

rivit